



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Glodesindis V. 25. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

gni laboris maximum nauum. Certè CHRISTVM per Lyciam circumtulit, cùm, ut auctor S.Ambrosius est, hominum millia IV. supra XL. ferre CHRISTI jugum docuit. Virgam manui familiarem cùm ad concionem dicturus aliquando humi defixisset, confessim frondere vidit, & miraculo etiamnum pictores favent. Sed & ad tribunalia tulit CHRISTVM. Captus enim & in vincula congettus, Decio imperante, immissas ad se geminas & perfictæ frontis mulierculas à Venere ad CHRISTVM perduxit, cui etiam sanguine suo mox littarunt. Ipse candentem ab igne galeam indutus & in ferreum, cui flammæ suberant, lectum abjectus dormire scilicet suaviter in his tormentis visus est. Inde jaculis militum stetit expositus, ingens meta, sed prorsus innoxia. Quid? quod ajunt sagittam reversam domini sui oculo perniciem attulisse, & medicinam eidem CHRISTOPHORI sanguinem fuisse, qui tandem cervices gladio fortiter dedit, quod unum restare videbatur, ut humilem cæli portam tam magnus subire posset. Ex Sur. & Lippel.

*Beata anima, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat. O anima, considera, quæ sit illa Majestas suscipienda, cogita quâ curâ te illi preparare locum oporteat.* Guerricus serm. 3. de Purif.

### S. GLODESINDIS V. 25.Iulii.

**F**Rustra estis DEI rivales homines. Nemo Christo Sponsam suam eripiet, quando contra hæc pugnat, & propugnat ille pugnantem. id quod GLODESINDIS virgo jam olim fecit manifestum. Natam in principe familiâ domum ducebatur

bat ex parentum, non virginis, voluntate, Obolegnus homo non tam sanguine, quām sceleribus nobilis, cūm ecce rege jubente nuptialis pompa in funebrem abit. & hujus imperio Obolenus in carcerem non thalamum dicitur, sceleris convictus, mortem subit non lectum, lessum audit non hymenæum. Vix hanc pugnam castitas pugnavit, cūm altera excipit victricem. Despondent iterum homini GLODESINDEM, & melioribus jam, ut ipsi putabant, auspiciis. Quid ageret pudor bis proditus? more Parthi fugiendo vincit. ad D. Stephani contendit, asylon aram prehendit, & quem unum deperibat, Sponsum JESVM complectitur. Hederam viti illigatam dixisses. Et jam septimus dies ierat, & virgo cæli deliciis plena non senserat famem, cūm apparantur palam & in conspectu populi nuptiæ placituræ tandem ipsi etiam virginis. Adsunt è cælo nitidissimi duo Ephebi Paranyimphi, tertius flammeo inde etiam allato non repugnantem obnubit, jamque urbe attonitâ, jam parentibus etiam gaudentibus, GLODESINDIS in thalamum suum (Virginum Collegium) abducitur. Ex Surio.

*Cura habere lilia penes te, si vis habere Deum habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse protestantur moralis quidam rerum ipsarum candor atque odor.* S. Bern. serm. 71. in Cant.

## S. SIMEON CONF. 26.Iulii.

Mundum omnem suis beneficiis obambulare voluisse SIMEON videtur, etiam postquam exivit è mundo, & vel inter Monachos vel Eremitas vixit. Inter hos agenti cūm fames ultima